



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 26. Legati a Synodo ad Eugenium missi de conventis rationem reddituri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A.C. 1436.

*Panormit.
hist. Concil.
Basil.*

ceteris, quæ necessaria viderentur, concilium caperent. Quam ob rem frequentes habebantur congregationes, in quibus per plures dies ea, quæ Deputati retulerunt, excipiebant Patres; Quænam tandem inter illas urbes, quæ proponebantur, seligenda, diu, multumque deliberatum est. Postmodum causa in particularibus Deputationibus maturiori examine discutiebatur, at rursus difficillimis obnoxia erat contentionibus, fato semper omnibus iisque periculosis negotiis solemnibus. Denique hanc in rem indicta est Congregatio Generalis, cui trecenti ferme quinquaginta septem Prælati, testatur Panormitanus, interfuerunt, collecto suffragiorum numero non solum duplè major pars, prout in sessione IX factum novimus, sed longe copiosior suffragantium numerus Concilium Basileæ celebrandum statuit, dummodo Græcis dicta civitas arrideret, secus vero, ut Avinionem se conferrent, persuadendos esse, aut si id omnino fieri non posset, saltem Sabaudiam vocandos, quam ipsimet Græci olim pro loco futuri Concilii obtulissent.

§. XXVI.

*Legati a Synodo ad Eugenium missi ad
conventus rationem reddituri.*

Synodus duos Legatos, nempe Dionysium

fium a Salvatore, & Henricum de Diest, Sæcul. XV.
A. C. 1436.
 utrumque Theologiæ Doctorem ad Eugenium Papam decrevit, ut eundem de conventis certiozem redderent. Equidem Oratores isti nulli pepercerunt labori, ut rationibus omni ex parte conquisitis Pontificem in suam traherent sententiam; studiose in memoriam revocabant, quod ipsemet paulo ante Avenionensem civitatem designasset, utpote locum celebrandæ Oecumenicæ Synodo aptissimum. Instanter urgebant, ut ipse, prout pluries iteratis suis literis promississet, tanto negotio feliciter perficiendo operam suam jungere, & ad locum Concilii per seipsum accedere vellet, concordiam cum Patribus studio indulgentias promulgaturus, ac præscripturus decimas, quarum subsidio necessarii sumptus suppeditari possent. Præterea illum obtestabantur, ut Prælatos & Doctores Synodo interfuturos, quo & ipsi advenientibus Græcis in loco Concilii comparerent, adhortaretur, ac omnibus per status Ecclesiastici terras profecturis publicæ fidei tabulas concederet, quas pariter Imperator, Reges, ceterique Principes se daturus promississent.

§. XXVII.

Responsum Eugenii ad Legatorum rationes.

Eugenius Oratorum postulatis responsurus, An. 1437.